



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

VI. Vt monachi sine commendatitiis non vagentur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

## IV.

Eas etiam quæ virginitatem professæ , & benedictionem fuerint per manus impositionem sub contestatione huius propositi consecutæ , si fuerint in adulterio deprehensæ , cum adulteris ipsarum arcendas a communione censemus.

## V.

Clericis sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentia non pateat euagandi ; & in omni loco , ad quem sine epistolis episcopi sui , vt dictum est , venerint , a communione habeantur alieni.

## VI.

In monachis quoque parsententiæ forma seruetur : quos si verborum increpatio non emendauerit , etiam verberibus statuimus coerceri.

## VII.

Seruandum quoque de monachis , ne eis ad solitarias cellulas liceat a congregatione discedere , nisi forte probatis post emeritos labores , aut propter infirmitatis necessitatē asperior ab abbatibus regula remittatur . Quod ita demum fiet , vt intra eadem monasterii septa manentes , tamen sub abbatis potestate separatas habere cellulas permittantur.

## VIII.

Council. A-  
gath. Can.  
38. Abbatibus quoque singulis diuersas cellas , aut plura monasteria habere non liceat ; nisi tantum propter incursum hostilitatis intra muros receptacula collocare.

## IX.

Clericis , nisi ex permisso episcoporum suorum , sacerdotalia iudicia adire non liceat . Sed si quis fortasse episcopi sui iudicium cœperit habere suspeatum ,